Quelle:
Copyright:

10. Fol. 174–195.

S. Joann. Chrysostomi de reparatione lapsi liber unus.

S. Joannis Chrysostomi liber de reparatione lapsi, seu ad Theodorum lapsum Parenesis II. Incipiunt: "Quis dabit capiti meo aquam" &c. Scriptae sunt eo fine, ut Theodorum, qui saecularem vitae rationem amplexus fuerat, et de uxore ducenda consilium inierat, ad vitam asceticam revocarent. Notat Oudinus Script. eccles. T. I. col. 724 verum ordinem Parenesis inversum, primoque collocatam loco post alteram esse rejiciendam. Id ipsum affirmat du Pin in nouvelle Bibl. des Auteurs eccles. T. III. pag. 56 dicens: "cette dernière exhortation devroit être la première." Plura de S. Chrysostomi operibus idem suppeditant, quibus adde Caveum. Extat in edit. Op. S. Chrysost. Francof. 1698. et 1723. T. IV. col. 546 interprete incerto.

S. Joannes Chrysostomus patria Antiochenus, episcopus Constantinopolitanus zelosissimus, animam coelo remisit ao 407.

11. Fol. 195–204.

Ejusdem tractatus de compunctione cordis ad Demetrium.

Ejusdem tractatus de compunctione cordis ad Demetrium. "Cum te intueor beata se/ frequenter insistentem mihi". Typis prodiit in praefatis editionibus T. IV. Col. 98. itidem incerto interprete, sed ut notat Oudinus Script. eccl. T. I. Col. 720. veterum magis quam recentiorum aliquo, utpote qui in vertendis prioribus orationibus libertate usus est.